



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Wolgasti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

uberrimis P.P. Obiit ann. cIo Io xxc. mens. Septemb.
die xx. inter xi. & xii. pomerid. Ætatis xl. Offic. xvii.

Inveni portum, dum tu jactaris in alto.

Eventu ut simili fac tua navis eat.

IBIDEM.

D. O. M. S.

Samuele Caloandro viro opt. & doctiss. hujus Ecclesiæ
Pastore, & R. V. Joanne Sumingo ejusdem collega, procu-
rantibus Simone Tœlemanno, & Michaelē Stanekio, hu-
jus reipub. Senatoribus benemerentib. & Matthæo Der-
hegero ac Joachimo Lemmichio civib. integerr. organum
hoc pneumaticū, venti & tactus ministerio harmoniam
edens suavissimam, in laudem sacrosanctæ & individuæ
Trinitatis concinnatum & extructum est. Anno, &c.

*Tu, si muta sonant summum instrumenta Tonantem,
Sis memor officii virvida lingua tui.*



WOLGASTI.

EPITAPHIUM PRINCIPIS POME-
ranicæ D. Philippi, auctore Stigelio.

ET tua te lugens Pomerania mœsta requirit,
Virtutis studio tuta Philippe tua.

*Justitiam pietate regens, æquissima Princeps
Jura dabas, patria dignus amore tua.*

*Vera tibi cura divini gloria verbi
In Christo, splendet, qua patefacta, fuit.*

*Veraq; justifica fidei documenta forvebas,
Consona quam menti lingua professa fuit.*

*Puraq; ut assiduis studiis doctrina vigeret,
Fovisti auxilio templa Scholasq; tuo.*

*Artibus ingenuis, & doctis præmia linguis,
Dulcibus & Musis otia grata dabas.*

*Et fora judicii ornabas, legibus urbes,
Ut premeret justus facta nefanda metus.*

Cc ij

*Pacis amans placida, bellorum damna caruebas,
 Ornabas patria commoda justa tua.
 Non impune tamen tibi quisquam bella tulisset,
 Martia nec deerant viribus arma tuis.
 Sed tibi digna magis res visa est parta tueri,
 Quam temere externa quarere fortis opes.
 Lege tua assidui coluerunt arva coloni,
 Ut pars neglecti nulla vacaret agri.
 Hinc quoque justa tuos auxerunt commoda census,
 Nullaque privatas vis tenuavit opes.
 Ergo patrem Arctoa te gens desiderat ora,
 Quae ditant Heneti Baltica stagna freti.
 Cumque Heneta luget sidus te gente Caycus,
 Et cum Cassubio fortis ad arma Rugus.
 Tu tamen ardenti Christum pietate professus
 In caelo aeterna gaudia pacis agis.
 Da Deus exemplum ut soboles generosa paternum
 Impleat, & verbi nos rege luce tui.*

Decessit Wolgasti anno natalis Christi
 M. D. LIX. die Februarii XIII. aeta-
 tis suae XLV. Joannes-Fridericus,
 Bogislaus, Ernestus-Ludovicus,
 Barnimus, Casimirus, fratres, Po-
 meraniae Duces, filii, patri dilectissimi.
 F. C.



STETINI,

ANno 1551. die Junii XXIIX. mortuus est Petrus Egge-
 stedius, qui cum Margarita Pielsia in conjugio vixit
 annos XLIIIX. Quorum ita fuit adaucta proles, ut dicta
 jam Margarita mater fuerit liberorum viventium XII. a-
 via nepotum & neptium LXXIIIX. proavia pronepotum
 & proneptium XLI. atque ita oculis suis viderit ex se & li-
 beris ac nepotibus suis natos CXXXI. Obiit tandem vi-
 dua anno aetatis suae LXXXVII.

D. O.